PASCALIS CICONIA
DUX LXXXVIII.

Electus Ann. 1585. obiit die 5. April. 1595. ætatis ſuæ 85. Principatus ſui ix. Menſ. vii. die xv.

EPIGRAPHES ANTIQVA.

Bello undique ferveſcente pacem ſervavi, & ex ſublicio Rivoalti Pontem complevi. Carcerum Fortia, Procerumque tecta ampliavi. Palationes Vrbis, & Palmæ fundamenta ieci.

PRinceps adeſt, qui naturà & ſine lege juſtitiam obſervat, Paſchalis Ciconia. Hunc adora; quia à patria enutritus, uſque ad ſenium ei cultum rependet, non legis imperio, ſed bonitate naturæ. Dies, Menſis, Locus, quibus Princeps eſt renuntiatus, Ducem præluſere Sanctiſsimum: Die namque Dominico Menſis Auguſti, dum oraret in Templo ex D.Marci Procuratore ad ſceptra vocatus: mentem referunt Auguſtam, dominium diuturnum, & religioſum etiam in prophanis imperium. Annos emenſus duodecim in tyrocinio Principatus, Patavio præfuit, & pharmaco orationis, urbem